



AG 27.28. fehlt!





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

44  
2

DE  
**INSANIA**

QVAM  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
SVB PRAESIDIO

**DN. D. IO. HIER. KNIPHOFII**

ANAT. CHIRVRG. ET BOTAN. PROF. PVBL. FAC. MED. ASSESS. ORD.  
ET P. C. DECAN. ACAD. CAES. NAT. CVR. ADI.  
ET BIBL.

**PRO LICENTIA**

SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES ET  
PRIVILEGIA LEGITIME ADIPI-  
SCENDI

PVBELICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR ET RESPONDENS

**CARL GOTTLÖB GOERNER**  
OELSNIZIO - MISNICVS

H. L. Q. C. A. S. R. MDCCLIII. DIE XIX. NOV.

ERFORDIAE  
Stanno HERINGIANO ACAD. TYPOGR.



14

INSTITUT

AVTORITATE ET CONSENSU  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
SAL. PRAESIDIIS

DR. D. IO. HER. KNIPHOFER

ANAT. ET BOTAN. HISTOR. ET TAB. TAB. ASSIS. ORD.  
ET DECAN. ACAD. CAR. NAT. CUR. ABB.  
ET NUNC.

PRO LICENTIA

SVMOS IN ART. SALVTARI HONORES ET  
PRIVILEGIA LEGITIME ADIRE  
SCENDI

VARIO EXAMINORVM EXAMINE PERMITTIT  
AVCTOR ET RESPONDENS

CARL GOTTLIB GOERNER

ORINISIO - MISENIOVS

M. D. C. C. L. X. A. MEDICIN. DIE XIX. NOV.

HERINGIANG. ACAD. THEOP.  
FR. D. D. I. A. R.







Q. D. B. V.



**E**xcellentissimam omnipotentis creaturam considerantes, sanam vocamus, si essentialia partes, tam anima rationalis libere actiones institueret potest, quam artificiosissime constructum corpus integritate partium instructum est. Ita CICERO *pro Sextio* c. 65. *sana corporis pars*, & HORATIUS *I. Sat. 9, 44. Mens bene sana*, & JUVENALIS *IO. 356. Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.* Vi contrariorum sequitur, corpus aut partium solidatum mechanismo, aut fluidarum mixtione læsum, & animam præcipua muneris functione impeditam ægrotare posse.

A 2

§. I.



## S. I.

**Q**uemadmodum vero corpus indefinitis, & haec-  
 nus nondum determinato numero notis mor-  
 bis affligitur, ita mens quoque sua patitur in-  
 commoda. Percurramus, quæ Medici de iis annota-  
 runt, quibusque nominibus insignierint, afferamus.  
 Nunc enim mens, parum quasi meminsens, præteri-  
 torum non exacte recordatur, unde ob rationem tur-  
 batam, quid agat, dicatve, cernere destituta, *amens* aut  
*demens* vocatur, Germanis *Wahnsüchtig*. Facultas ratio-  
 cinandi læsa, vario quoque modo sese prodicit. Illos  
 enim, qui hebetudine ingenii parum intelligunt, *Stu-  
 pidos* nominamus, & qui inepta quævis sibi per-  
 suaderi patiuntur, *simplices*. Quando autem superbia  
 mentem disturbavit, ut quis sibi falsa de se & quidem  
 magnifica, ut saga in lupum mutatam se, aut hirco vel  
 scopis inequitantem in Bruçtero monte saltationibus fa-  
 tigatam, imaginetur, *desipientia* laborare, Medici pro-  
 nunciant. Parum ab his abtundunt, qui visa nocturna  
 pro veris accipiunt, hæc vana visio morbi nomen accepit  
*phantasia*; & Germani talem ægrotum nominant *einen  
 Phantasten*. *Calenture* est morbus phantasiam afficiens,  
 navigantibus versus Indiam occidentalem cum Tropi-  
 picum accedunt familiaris, ubi viridaria & frondes vi-  
 ridēs mari innatantes sibi imaginantur. conf. BONETI  
*Medicina septentrionalis* p. 84. Qui intellectus & judi-  
 cii defectu laborat, *Moria* ægrotat; ab hoc differt *Fatuus*,  
 a fando dictus, qui inepte multa blaterat, ac si inspira-  
 tus esset. *Stultus* vero imprudens & in providis sibi  
 nociva aut periculosa, aliis vero ridicula eructat. *Sto-  
 lidi*



*lidi* vocantur excordes, tetri, illepidis moribus & rustico vitæ genere, sana ratione utentibus molesti. Paucis circumstantiis ab his distincti sunt *insulsi*, qui corde & animo *insiceti* sunt.

## §. II.

Tertio vulgatum est proverbio: Ira furor brevis est; cujus veritati & CICERO jam dudum subscripsit. Quid *vecors*, quid *secors* evolvant curiosi. Nos inter morbos & insaniam, de qua nunc sermo, non reputabimus, ut & nonnulla eorum, quorum §. præc. mentio facta est, licet experientia sæpius repetita constet, & in his, si non plane tollendis, saltem corrigendis artem medicam plurimum pollere.

## §. III.

Sensus interni, phantasia, memoria & sensus communis conjunctim læduntur in *deliriis*. Ejusmodi delirium cum febre acuta ab inflammatione meningum dependens vocatur *phrenitis*. Delirium sine febre cum indignatione ob conversationem amasiæ vagam *Zelotypia* nominatur. Delirium sine febre cum timore & mœstitia, *Melancholia* appellatur. Delirium sine febre cum furore & audacia *Mania* audit, quæ si circa vagas & illicitas libidines versatur, *Erotomania* nomen accipit; & quando conjuncta cum desiderio certæ personæ, titulo *amoris insani* venit; ubi tandem desiderium coeundi furiosum observatur, in *Nymphomaniam*, sive *furorē uterinum* transit. Sic quoque delirium a punctura & morfu animalium rabidorum variis insignitur denominationibus, v. g. canis rabidi morfus *Cynanotropiam*; lupi rabidi *lycanotropiam*; felis rabidi *gale-*



*antropiam* efficit; horum symptoma, quod morsu ab omni liquore abhorrent, *hydrophobia*; a punctura apulæ aranæ, Tarantulæ *Tarantismus* appellatur. Datur quoque delirium absque morsu ex amentia ortum cum saltandi desiderio, quod *Chorea Sancti Viti* nominatur. *Philtromania* delirium ex accepto philtro; *Dæmonomania*, quando delirantes linguas exoticas satis bene loquuntur, quas fani non callent, &c. de distincti-  
one Dæmoniacorum a Maniacis conf. Tr. JORDANI  
c. 35. de eo, quod est divinum in Medicina.

## §. IV.

Nos in præsentia de præcipua tantum specie a-  
cturi notamus, *insaniam* latinorum, græcis reddi Ma-  
niam, & est *Mania* a *μαίνω*, vel *μανία*, *furo*, *insanio*, ger-  
manis *Weserey*, *Tollheit*, *Unsiinnigkeit*.

## §. V.

Insanire in sensu latissimo est carmen compone-  
re, quod Poetæ, dum carmina conscribunt, furore cor-  
ripi dicantur. VIRGIL. *Eclog.* 3. 36. Unde quoque pro-  
verbium ortum: insanire cum ratione. Sensu Medico  
autem *Insania* sumitur late pro omni delirio; minus usi-  
tate verbum hoc a quibusdam usurpatur pro Melan-  
cholia; strictè autem designat *Delirium absque febre*  
cum furore & audacia.

## §. VI.

Decursus atque circumstantiæ hujus morbi in uno  
subjecto non eadem observantur, quæ in altero oc-  
currunt; sed pro diversa corporis dispositione, mentis-  
que inclinatione in variis individuis distincto modo  
se exerunt: in nonnullis continuo observantur; alios  
periodi-



periodice excruciant, levi quacunq̄ue data causa occaſionali; alios juxta lunæ mutationes invadunt. Proprie enim, & ſi affectum ipſum reſpicimus, oculi fulgent, quorum pupilla, quia uvea undique æqualiter retracta, ordinarie in furioſis valde dilatata obſervatur; alios morſibus, pugnis, convitiis, aliisque injuriis, horrido & impetuoſo furore impetunt, ſumma cum audacia, temeritate & ſævicia ſine ullo discrimine parentes, conjuges, liberos ceu ſummos hoſtes lædere, ac, niſi impediuntur, jugulare intendunt, &c, niſi bene cuſtodiantur, omni pudore neglecto, dilaceratis veſtibus, nudi in plateas proſiliunt, fenestras confringunt, omniaque uſenſilia per eas projiciunt.

## §. VII.

Si ad actiones attendimus, omnes vehementia atque præcipitantia fieri apparet; pertinaciſſimæ ad ſunt vigiliæ, &c, ſi ſompnus accedat, eſt inquietus atque turbulentus. Immenſam alimentorum quantitatem, ſumma aviditate & ineffabili voracitate ingerunt, neque tamen alvus ordinarie reſpondet. Intenſiſſimum tolerare queunt frigus, ſupendo gaudent robore, ut quinque vel ſex viri robuſti illos compeſcere vix poſſint, vincula atque catenas rumpunt, fornaces atque fores effringunt, famem quoque perferre poſſunt, & nonnunquam propria excrementa deglutiunt, ſibi ipſis manus violentas inferunt, ex alto ſe præcipitant in flumina, in puteos, cultris, gladiisque ſe tranſodiunt; vulnera minus curant. Interim callidiſſima ſimulatione ſubdole fingunt, ſe eſſe ſaniſſimos, blando & affabili alloquio adſtantibus ſuam calamitatem enarrant,



& supplicibus verbis redemptionem e vinculis expetunt, aut prætereuntes blanditiis verborum ad se allectos magnopere lædunt, & insignem rabiem in illos exercent.

## §. VIII.

Pro diversitate roboris fibrarum musculosarum & mixtionis humorum alii quoque effectus deprehenduntur. Invenies enim ipsos post pertinacissimam taciturnitatem prægressam, garrulos, omni abjecto pudicitiae ornamento obscœnis, dictisque fescenninis, rebus lascivis, venereis cantilenis adeo inverecunde delectari, ut sub lenone sordidissimo eductos, ab incubulis credores. Frequentius hoc in sexu sequiori quam nobiliori occurrit; ejusmodi personæ nudæ prostrantur e lecto, verbis & gestibus masculos ad amplexus venereos invitant, ac nil intermittunt, quod ad implendam infanici hujus voluptatem aliquid conferre potest; denegantes omnibus injuriis, verberibus, clavibus & lapidibus prosequuntur. Alios reperies intolerabili superbia & arroganti verborum ratiocinatione de dignitatibus loqui, jurare, se esse reges aut principes, honores, præmia & gratiam promittentes amicis, poenas & mortem decernentes hostibus. Iterum alii occurrunt, qui divitiis gloriantur, deinde vero sine furore notabili per multas horas imo dies tacent, nec ulla arte ad loquendum persuaderi possunt, ac si muti essent, qui subinde diu absque virium decremento cibo, potuque abstinere, sollicitoque animo vindictam excoquant erga illos, quos sibi imaginantur sua furtim auferre. Alii tandem calumnias

ac



ac convitia in homines & blasphemias in summum Numen evomunt, mire corpus intorquent, flectunt & curvant, quod citra articulorum luxationem sanus peragere non posset. Quis, quæso, carnes insanæ tristes, mirosque proferet effectus, quos quotidie experiuntur, qui in praxin medicam incumbunt? miros recte dico, quos observationibus suis celeberrimi Viri illustrarunt, quia causas naturales superare videntur. Quando nimirum hariolando & divinando futura prædicunt, extemporaneos componunt versus, linguarum incognitarum, quas sani alias nunquam didicerant, peritiam ostendunt, cogitationes adstantium produnt, intelligunt, qualia Maniacis ex altera causa accidunt, integros coetus armatorum aggrediuntur sine metu, animalcula viva, ferramenta, aliaque insuetata per vomitum rejiciunt, quæ *Insaniam demoniacam* indignant. Me in his enumerandis prolixiorem fuisse ne mireris, aut indigne feras, rogo; sunt enim ejusmodi, quæ sæpe occurrunt, & in quibus Medico gravissimus existit labor curandis.

## §. IX.

*Difficillime* semper *curationis* est *insania*, & ubi malum est hæreditarium, omnem sanationem respuit. Proinde suadeo, summa accuratione attendas, utrum æstivo tempore, in primis fervente syrio, exacerbetur, an per duos & plures annos, an per longum vitæ tempus duraverit. Præter causam hujus morbi in se pertinacissimam, accedit, hoc morbo correptos, medico haud dicto obedientes esse, nullaque medicamenta sumere. Varia maniae genera tractandi paucis exponemus.

B

mus.



mus. A causis idealibus dependens, & quidem incipiens curari potest christianis atque rationalibus demonstrationibus & prudenti conversatione. Periodica, quæ per aliquot temporis spatium intermittit, non facile est funesta, sæpe tamen in stultitiam vel melancholiam transit. Quæ cum risu, saltationibus & hilaritate conjuncta, melior est serena, tristi, morosaque, & spem sanationis promittit. Similiter, quando ratio non penitus est perversa, & præteritarum rerum memoria adhuc ægri pollent, interdum sanantur. Sæpe insania ad tempus speciem melancholiam aut stultitiæ præfert, donec, nova in massa sanguinea denuo accumulata morbi causa materiali, redeat. Si ab excretionibus naturalibus vel artificialibus consuetis, & ad tempus intermissis ortum trahit, sanationis effectus sperandus est ex hæmorrhagiis, mensibus aut hæmorrhoidibus sufficienter fluentibus, quod HIPPOCRATES *Sec. VI. Aph. 21.* confirmat.

## §. X.

Reliquæ excretiones ordini naturali propius accedentes, ut scybala figurata quotidie excreta, transpiratio in lenem sudorem transiens, urina emissâ respondens quantitati assumptorum potulentorum, somnus ad aliquot horas protrahens, ut &, si corpus vestimentis tegi permittunt, & taciturni torvum & furiosum vultum componunt, de salute non desperandum. Ab insania dysenteria, aut hydrops, aut mentis emotio bonum, HIPPOCRATE annotante, VII, 5. Ex observatione FRAMBESARII ab insania liberati sæpius in phthisin abeunt. Quia chronicum malum est, ad multos annos



annos inmo ad mortem durat. Dum enim vehementissimis corporis motionibus, vigiliis atque pertinaci non raro inedia sanguis, & cum hoc materia peccans morbifica continuo imminuitur, vita longius protrahi potest, adeoque malum per se non lethale est, nisi autochryia filum vitæ abscindatur.

## §. XI.

Quod si neque malum hæreditarium, neque inveteratum, curabile existit, terminatur vel ad salutem legitimam & sufficiente evacuatione materiæ criticæ, vel ad mortem per successivam virium dissolutionem, motibus, agrypnia & inedia. Medicus ad restituendam vocatus, si morbus difficulter eradicari potest, prudenter prognosi & famæ serviet, & tempori & impensis caute parcat. Hoc vero, quod jam succurrit, monitum volo, ut sibi ipsi quoque prospiciat, & reminiscatur annotatum VALENTINI *Prax. Med. infall. Sect. III. p. 228.* dicentis: *Maniaci Medicis sunt insensissimi* conf. *Fabricii HILDANI Observ. med. Cent. IV. obs. 8.*

## §. XII.

Morbum tam animo quam corpori insensum, supra dictum fuit. Ejusmodi generis est insania, quæ non in solo corpore subsistit, sed simul quoque ipsum animum afficit. Hoc tamen clinici notarunt: Afflictum animum morbum corporis interdum post se trahere, interdum vero structuram corporis læsam per consensum nervorum animam ad aberrationem mentis necessitare. *Rosinus LENTILIUS* exemplum de *Horulano* affert ex vulnere capitis maniaco facto, obices crassos ferreos, catenas ferreas levi negotio discerpente



& totum aliquando Nosodochium fugante. Nihil itaque obstat, cerebrum tanquam organon secretioni liquidi nervei destinatum, & ad sensus internos producendos & externos in actionem deducendos aptum inculpate, quod dislocatione, pressione & quacunquē alia læsione fibrarum minimarum infaniæ rudimenta efficit. Germanus optime se exprimere videtur dicens: *Der Mensch ist im Kopfe verrückt.* Non excludo involucria cerebri, in specie duram matrem spastica frictione contractam; quando sanguis a causis in corporis interioribus delitescētibus, vel etiam ab iracundia cum impetu ad caput rapitur, infania cum lædenti impetu, vehementi odio, & ira sine evidenti causa, consentiente illustri HOFFMANNO, nasci potest. Non solum vero cerebri fibræ nervosæ, sed etiam liquidum in eodem secretum nerveum quantitate, & qualitate acri, calida, volatili, & motu impetuoso perverso atque turbato morbosum redditum ad infaniam inducendam causam proximam constituit.

§. XIII.

Mediata causa est ætas juvenilis atque virilis; temperamentum calidum, sanguineo cholericum & cholericomelancholicum. Uterque sexus ad suscipiendam infaniam aptus est. Graciles, lacertosi tamen atque plethorici facilius infani evadunt obesius. Quorum conditio laboriosa continuis motibus corpus exercere necessitat, si postea vitæ genus sedentarium eligunt, causam infaniæ remotam præbent. Tandem hunc morbum a parentibus in liberos transferri, practico-rum observationes loquuntur, & quotidiana confirmat expe-



experientia. Minime ergo sua fore esse, congressu vel conjugio insaniam curare.

## §. XIV.

Ad insaniam generationem remote quoque conferunt aër; ita HIPPOCRATES *Seß. III. Aph. 20.* tempus vernale & *Aphor. 2.* tempus autumnale nominat congruum; dies caniculares calido & sicco aëre insaniam periodicam invitant, aut præsentem furore multiplicant; cibi acres, aromatibus calefacientibus conditi, & hujus commatis juscula ad appetitum excitandum atque augendum a coquis excogitata, quantitatem sanguinis non solum valde augent, sed etiam acrioribus salina atque irritanti indole perverfam humorum qualitatem inducunt. Generosum vinum & spiritus vini abusus insaniei materialem causam præbent. Talem observationem insaniei post laborem & spiritus vini potum E. N. C. *Vol. IV. p. 127.* exhibent; idemque post abusum spiritus vini juniperini, ejusque olei *Dec. III. A. IV. p. 202.* ut & in puerpera ex nimio vini potu *Cent. III. p. 225.* Nimum motum sanguinem nimium excandescens, majoremque quantitatem ad caput & cerebrum determinantem æque ac agrypniam rapidissimum spirituum animalium, simulque inordinatum motum inferre, insanieique matrem esse, omnibus salutaris artis cultoribus innotescit.

## §. XV.

Nota est regula, a multis ab hinc annis: qualis cibus, talis chylus, qualis chylus, talis sanguis, qualis sanguis, tales spiritus animales, & quales spiritus animales, tales animi & corporis actiones. Sanguis au-



tem depuratur atque ad sanitatem continuandam adaptatur secretionibus utilium & excretionibus inutilium partium. Quid itaque mirum, si excretio menstrua impedita in plethoricis nymphomaniae fundamenta ponat. Melancholicam insaniam ex mensuum suppressione ortam bis observavit D. DECK in *not. Prax. Barbett. annex.* Quid mirum, si hæmorrhoidum aliarumque sanguinis sinceri excretio turbata ad eisdem productionem juvet. Sic ulcera in crure curata & menstrua suppressa utpote insaniae causam observavit FORESTVS L. X. *observ.* 24. Quæ enim materia acris antea per ulcera excernebatur, nunc in corpore re-tenta fibras cerebri atque meningum nervosas irritare spasmodice, & influxum spirituum ordinarium impedire atque turbare potest, ut inde insania oriatur. Quæ febre catarrhali benigna sudorem criticum die septimo erumpentem, nudos pedes frigido aeri hyemali, corpore vestibus non sufficienter munito, exponens, reprimbat, in insaniam delapsam curavit BOENNEKEN. Sic alia cutis exanthemata retropulsa, aut excretio sufficiens per eadem intercepta, similem producit effectum; uti de variolis tale exemplum prostat *Dec. L. A. VI. p. 132.* Item plica Polonica abscissa insaniam lethalem produxit *Cent. I. p. 102.* quod massæ sanguineæ partes excrementitiæ acres & ad corruptionem inclinantes, antea continuo excretæ, nunc cum sanguine ad cerebrum delatæ, confusionem spirituum, furiosumque motum inducere, & plenariam animæ sedis destructionem facere poterant.

§. XVI.



## §. XVI.

Si non primum tamen præcipuum locum inter infanæ causas obtinent animi pathemata. Magnus est numerus eorum, qui ex philavtia fere infaniunt, major, qui superbia elati sanæ rationi valedicunt; de infania ex fastu vid. *Cent. VI. p. 329.* maximus, quos libido usu rationis privat. Amorem infanæ ansam præbere, asserit LANGIUS in *Diff. de mortuis ex affectibus.* SCHENCK *Obs. Lib. I. f. 153.* FOREST. *Lib. X. obs. 29.* de puellæ nimio amore infanæ causa vid. *Dec. II. An. X. p. 219.* de coeco puellam nimium amante *Dec. III. An. IX. p. 32.* Ex effreni coitu insanum sinit SCHENCK *Obs. Lib. I. fol. 152.* Infanæ ex terrore ortæ historia extat *Dec. III. A. IX. p. 131.* Per tristitiam introducta infania profertur ab Illustri HOFMANNO *Med. Rat. Syst. T. II. p. 107.* Conditura cadaveris in chirurgo nauisco infaniam generavit *Dec. II. Ann. VIII. p. 425.*

## §. XVII.

Dum omnes morbi aut in sanitatem vergunt, aut morte terminantur, aut, materia morbifica in alium corporis locum translata, morbum a præterito plane diversum profert, sæpissime contingit, ut phrenitis febres ardentes, melancholia, in infaniam abeant, & morsus canis, aliorumque animalium rabidorum infania excipiat. Maniam ex paralyti observatam communicavit Ill. a BERGEN *Commerc. Lit. Norimb. An. 1735. p. 28.* SCHENCK *Obs. L. I. fol. 15.* recenset casum infanæ a tuberculo in collo obortæ. Ovarium steatomatoso pilosum infaniam produxisse ex *Miscell. Berol. Tom. III. p. 16.* notum est.

## §. XVIII.



## §. XVIII.

Fabula quidem fert, res quasdam in natura existere, quibus amor erga certam personam conciliari possit; philtra nominant; sed experientia docet, quod tanquam venena in corpus agant. Insaniæ exemplum a philtro ortæ legi potest apud BORELLVM *Cent. I. obs. 65.* a Belladonnæ quoque baccarum esu orta insania. *Dec. II. Ann. X. p. 213.* Daturæ seminis esum insaniam produxisse legitur, *Dec. III. A. III. p. 302.* & his potest annumerari aliud veneni genus, ubi ab urina murium majorum ore aperto noctu excepta insania fuit producta *Dec. II. Ann. V. p. II.* Eundem effectum, quem venena acrimonia sua inducunt, vermes vellitatione atque rosione nervorum proferunt. De vermibus insaniam producentibus, vid. NENTER *Fund. Med. P. III. p. 785.* & *Eph. N. C. Dec. I. A. III. p. 35. A. V. app. p. 77.* PLATERVS *prax. L. I. c. 5. A. vermibus villosis ortam insaniam recenset FERNELIUS Patholog. L. V. p. 7.*

## §. XIX.

Sanguinem acrem spissum stagnantem ad gangrænam & sphacelum solida disponentem insaniæ causam existere, patet ex observationibus Practicorum: BALLONIUS *Paradig. 184.* notavit insaniam a venis cerebri varicosis, & PLATERVS vidit in maniacorum cerebro & meningibus, modo maculas nigras, modo putredinem. De inflammatione quoque partium sensatarum, diaphragmatis, uteri &c. insaniam producente observationes Practicorum hinc inde loquuntur.

## §. XX.



## §. XX.

Supranaturales causas silentio præterire lubet, quia erudito atque in curatione morborum versato Medico ex effectibus ordinarias leges naturæ transcendentes facile innotescunt, & medelam a remediis naturalibus expectandam respuunt. In quo casu conditio morbi a Medico explicata, cum sufficienter excusat, quod oblata medicamenta effectu destituantur: interim tamen, quæ infinita Dei est misericordia, nostris temporibus rarissime casus occurrit, ubi permissu Dei diabolus humoribus se associans insanos reddit homines. Horum sanationem ad forum theologicum relegamus, ubi verbi divini Ministri ardentissimas fundendo preces Christi & Apostolorum exempla imitantes, Deum efflagitare non intermittunt, ut ipse humano generi infensissimum hospitem ejiciat.

## §. XXI.

Cura insanæ sequentibus indicationibus practicis superstructa exoptata, ubi possibile est, adferet medelam.

- I. Univerſum corpus ad fundamentalem curationem præparetur,
- II. causa morbifica removeatur, & materia peccans evacuetur,
- III. motus excedentes mitigentur,
- IV. conveniens regimen præscribatur.

## §. XXII.

Primæ indicationi satisficit, si loco potus ordinarii decocta avenacea, hordeacea, serum lactis & similia porriguntur; vigiliis autem emulsiones, pediluvia, & anodyna opponuntur.

C

## §. XXIII.



## §. XXIII.

Secunda indicatio pro diversitate causarum, aliam quoque atque aliam medendi methodum postulat. Quodsi enim a suppresso sudore orta fuerit insania, diaphoretica diureticis mixta per superficiem cutis nocivum eliminare possunt. Si a mensibus suppressis vel lochiis retentis originem traxerit, superflua sanguinis quantitas per venæ sectionem educatur, prouti circumstantiæ exposcunt, aliquoties reiterandam. Venam sexagies tundit PLATERVS *Pr. T. I. C. 3.* Quibusdam placet venam frontalem primo secare, quam ob rationem quoque furiosorum venam, die *Koller-Uder* appellant; deinde venam jugularem; post aliquot dies cephalicam in brachio, & tandem e vena in pede aperta largam sat sanguinis quantitatem educere.

## §. XXIV.

Hæmorrhoides suppressæ insaniam generantes non minus per sanguinis emissionem per venam in pede sectam institutam ad pristinum fluxum invitantur, modo non inopportune instituantur. Ad eundem scopum collineant hirudines circa confinia intestini recti applicatæ.

## §. XXV.

Si a fabura ventriculum aggravante genita, vel ad minimum nutrita fuerit insania, aut etiam philtro dependeat, vomitorium efficax in auxilium vocandum, & cum ordinaria remediorum dosis nullum plane effectum edit, tutius procedimus, si singulis diebus dosis remedii duplicatur. Nux vomica ad pauca grana blande



de agentibus diaphoreticis admixta, aut tartarus emeticus id præstabit, quod a reliquis omnibus expectandum, si primo die ad quinque, secundo ad decem, tertio ad viginti, quarto ad quadraginta grana & sic quotidie duplicata dosis exhibeatur; novi virginem insanientem, quæ tartarum emeticum clam surreptum ad drachmam unam unica vice deglutivit absque ullo subsequuto vomitu.

## §. XXVI.

Nec minus purgantia causam morbosam eiciunt in intestinis residuam. Hoc præstitit *VELSCHIVS Obs. 15.* helleboro albo & nigro, prima vice infusum drachma una in vino sine ebullitione, secundo cum ebullitione, tertio cum expressione exhibitio, & *ZWINGERVS Theatro prax. med.* recentes insanos ad rationem pristinam reduxit per epicrasin purgatos sequenti pulvere  
 ꝑ rad. helleb. nigr. hermodact. Jalap. ana ʒj crem. tart. ʒj  
 ʒjʒ semin. foenic. ʒij scam. sulphurat ʒb facch. alb. ʒj  
 M, f. pulvis subt. dosis m. ac vesp. drachma semis.  
*HOEFERO* teste maniaci curantur crebra venæ sectione, purgatione & narcoticis.

## §. XXVII.

Infania a vermibus orta quoque mitigatur, si purgantibus putredo vermium, nidum in intestinis constituens, per inferiora evacuatur; maxime si anthelmintica admiscuntur. Non potest enim non fieri, ut vermium habitaculo destructo & exterminato, ipsi vermes moriantur, & cum scybalis excernantur, huic scopo inservit pulv. rad. asari & corticis radicis mori ana ʒb cum aliquot uncis aquæ assumtum, in qua antea uncia una mercurii vivi ebulliverit.

C 2

## §. XXVIII.



## §. XXVIII.

Quibusdam Practicis placet ferum peccaminosum per ulcera artefacta educere, promptiusque atque efficacius auxilium inveniunt in fonticulo capiti inusto, aut in loco concursus suturæ coronalis cum sagittali, quod frequentius; aut ubi sagittalis lamdoideam attingit. Ejusmodi actualis ignis applicatio efficacem tam in humoribus quam in liquido nerveo excitat alterationem, unde quoque alii suaserunt, caput abrasum ferro ad lintea læviganda ignito inutilibus privare humoribus. Sed frictio panno aspero instituta, aut etiam, suasu aliorum, cucurbitula major sicca vertici applicata, & hinc inde diducta, tutius in usum vocatur. HARTMANNVS in *Praxi Chym.* c. 3. l. 2. commendat trepanationem, quæ vero in nulla alia insanix specie effectum quendam præstare potest, nisi quæ a casu, vel alia vi externa capiti illata originem traxit, tali enim modo sanguis extravasatus sub cranio residens, evacuari potest.

## §. XXIX.

Prima fronte miratus sum, ad insanos curandos salivationem a viris in praxi exercitatis adhiberi. ROZ-FINK *Conf.* 8. l. 2. Cum vero perpenderem, subjectum inhæssionis hujus morbi esse lympham atque spiritus animales, & recrementitias lymphæ partes per glandulas salivales posse excerni, multosque reddi insanos ex nimio amoris affectu, in quo etiam contingere potest, ut congressus ineatur cum persona alterius sexus impura, ut simul miasma venereum communicatum causam & luis venereæ & insanix præbeat; salivatione ergo mercuriali excitata, utriusque mali radices



dices evelluntur, & cum saliva educi possibile est, si modo infani sufficienti quantitate decocti lignorum salivationem promovere, & temperato regimine uti vellent, utpote in quibus totum fere artificium ad felicem atque exoptatum finem properantis salivationis consistit.

§. XXX.

Extraordinaria remedia in curanda infania non raro quoque adhibentur, nempe arteriotomia, transfusio sanguinis, castratio, & submersio in aqua. Arteriotomiam a celeberrimis Chirurgiæ magistris in infania reperio commendatam, conf. PANAROLL. *Pentec. I. obs. 29.* Auxilium quod præstat, procul dubio consistit in imminutione quantitatis sanguinis & virium debilitatione: sed quia impetus sanguinis in arteriis est vehementissimus, & infani furiosi hæmorrhagiæ sedationem arctiori deligatione & applicatione stipticorum non facile patiuntur, lethale sanguinis profluvium est rimendum, & hoc ex fundamento prudentius omititur.

§. XXXI.

Transfusio sanguinis quando ad curandam infaniam commendatur, intentio est, ut, quantum sanguinis furiosi per institutam arteriotomiam extractum fuit, tantum patientis agni, aut melancholici bovis sanguinis aut alius sani hominis, per venam iterum immittendo restituatur. Conferri possunt TRANSACTIONES ANGLICANÆ p. 563. LOWERVS *de Corde.* MERCKLING. *de orru & occasu transfusionis sanguinis,* ETTMÜLLERVS & celeb. MAJOR.



## §. XXXII.

Castratio seu abscissio scroti cum testiculis remedium insaniam prædicatur; præter ea vero, quod in nulla alia insaniam locum invenire videatur, quam a nimio cæstro venereo orta, remedium nimis crudele ac inhumanum est, & adhuc sub iudice lis est, an aliqualem usum habeat, nisi forsitan fallacia in verbis, & per castrationem intelligitur operatio chirurgica, quæ virum & pene & scroto cum testiculis privat. Verum est, quod his omnibus resectis, neque coitum exercere, neque foeminam impregnare possit: manere tamen possunt stimuli ad venerem, quibus in corpore residuis, insaniam antea ab his dependens continuabit.

## §. XXXIII.

Per submersionem in aquam materia peccans quidem non evacuatur, sed tamen tertiæ indicationi satisfacere perhibetur, ut nempe motus excedentes hoc ipso mitigentur. confer. EPHEM. N. C. Vol. I. Obs. 191. Sed Illustris ALBERTI frigida balnea maniam laborantibus commendare audaculis empiricis relinquit.

## §. XXXIV.

Longe tutius motus effreni mitigantur medicamentis temperantibus, nitratis, atque cinabarinis, ut & camphora. Ill. de BERGER maniam camphora curatam communicat, *Comm. Lit. Norimb. 1735. p. 28.* Camphora, ut & oleo cornu cervi rectificato JOERDENS maniam sedavit.

## §. XXXV.

Tertiæ indicationi, ut motus excedentes mitigentur, satisfaciunt rubefacientia plantis pedum applicata, vesti.



vesicatoria furis apposita, pediluvia & jam laudata purgantia. Inter quæ veteres helleboro præcipuum concedebant locum contra insaniam, unde in proverbio de illis, qui aliquid contra rationem faciebant, solebant dicere: Helleboro indiget ut & topica Epithemata ex aqua rosarum cum opio & croco. Vid. THONERI *Consil. Med.* ex aqua nymph. alb. papaver. chamomill. rosar. lil. alb. & flor. verbasco.

## §. XXXVI.

Topica alia eundem ad effectum perducunt, quale paratur ex cancris vivis contusis cum aceto. Item herbæ cephalicæ in f. q. aquæ simplicis coctæ, qua caput abrasum calide lavetur, & cucupha ex balsamicis atque speciebus nervinis composita superimponatur omnibus externis capiti applicandis; animalia viva dissecta, hircines, columbæ & gallinæ palmam efficacis præripiunt; quod vero animalia eligantur nigro colore, superstitionem sapere videtur.

## §. XXXVII.

Quædam adhuc monenda veniunt de sic dictis specificis. Hunc titulum sibi vindicant flores hyperici, s. fuga dæmonum, herba anagallis flore purpureo, Bernunstkrout, & ejus essentia. Sanguis asininus mense martio pone aures elicitus laudatur a ZWINGERO. LANGIUS *Opp. II. p. 122.* scribit: novi aliquando profuisse eundem in infuso cum eventu felici, additque modum operandi, quod visciditate sua sanguini rapido frenum injiciat. Illustris HOFFMANNVS *Med. R. S. T. II. p. 24.* asserit, sanguine asinino maniam non indistincte curari, & BOENNECKEN bigam casuum maniacorum sanguine



ne afinino feliciter curatorum communicat orbi erudito. Lapis felleus tigridis maximæ africanæ in *Comin. Lit. Nor. 1736. p. 248.* commendatur.

§. XXXVIII.

Diæta in tractandis infans peculiaris observetur. Aer sit temperatus, magis tamen frigido & humido detineantur loco. Cibi magis ex vegetabilibus quam animalibus, & ex his meliores carnes elixæ affatis; potus sit aqua pura aut acidulæ, serum lactis & similia. Motus quovis modo impediendus; somnus, in quantum fieri potest, procurandus. Excretio aluina sufficienti potu & sæpe reiteratis purgantibus promovenda; transpiratio in ordine fervetur, vestimentis etiam similibus ægrotis accommodatis valde asperis. Sollicitate quidem custodiantur, vinculis atque catenis, ubi necessitas exposcit, sufficienter ligentur, ne aliis possint nocere hominibus; plagisque atque severiori disciplina ad obedientiam cogendi, sed non impetuose hoc fiat, alias furor magis crescit; tandem quoque homines ægros hos contemptui habere omnes caveant.

F I N I S.













00 A 6281

ULB Halle  
002 828 12X

3




50


Recht ✓











44  
2

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE  
**INSANIA**

QVAM  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
SVB PRAESIDIO

**DN. D. IO. HIER. KNIPHOFII**

ANAT. CHIRVRG. ET BOTAN. PROF. PVBL. FAC. MED. ASSESS. ORD.  
ET p. t. DECAN. ACAD. CAES. NAT. CVR. ADI.  
ET BIBL.

PRO LICENTIA  
SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES ET  
PRIVILEGIA LEGITIME ADIPI-  
SCENDI

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR ET RESPONDENS

**CARL GOTTLOB GOERNER**  
OELSNIZIO - MISNICVS

H. L. Q. C. A. S. R. MDCCCLIII. DIE XIX. NOV.

ERFORDIAE  
Stanno HERINGIANO ACAD. TYPOGR.

